Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1521
Quelle:
Copyright:

VII. *fol.* 291. *Sermo Richardi Archiepiſcopi ſancti pauli londonenſis. tercia dominica XL.e anno domini M°. CCC. LVI. et conſecrationis ejusdem Archiepiſcopi anno quarto.* Ineptit Librarius. Dicendum erat: *Archiepiſcopi Armachani*, et: *apud crucem Eccleſiae S. Pauli Londonienſis.* Ita enim et *Codex* mox *cit.* et Editio IV. *Sermonum Richardi Pariſ. ſ. a.* f. quae tamen etiam in conſecrationis anno peccat, ut jam ibidem monui. Eſt vero Sermo in illud: *Nemo vos ſeducat inanibus verbis. ad epheſ. VI. ca°. et in epiſtola huius dominice oculi.* Et incipit: *Hodie in XV. dies non ſolum oraciones. peticiones. poſtulaciones et graciarum actiones fieri* &c. ut in edit. mox indicata.

VIII. *fol.* 309. *Petri Payne Anglici* Defenſio Articulorum *Wicleſi* contra *Joh. Przibram*, quae incipit: *Quia nuper in regno Boemie inclitiſſimo vnus eiusdem regni filius* &c. et redibit *Cod.* DLXV. Verum hic praemiſſam habet Proteſtationem, cujus initium eſt: *Omnipotentis dei magnificentia operis huius exordium protegat, medium dirigat* &c. Profitetur *Petrus*, ſe nihil aſſerturum diſſonum fidei orthodoxae, neminem abducturum a vera fide ſacramenti Euchariſtiae, futurumque ſub correctione ſanctae matris eccleſiae, et omnium, quibus incumbit ex officio ipſum corrigere &c. Sed *eſt, qui nequiter humiliat ſe.* Eccl. 19. 23.

IX. *fol.* 340. p. 2. Epiſtola Catholici ad *Wicleſi* Adſeclam, quae incipit: *Quia ex doctrina beati Auguſtini didici — Quod ſic diligendi ſint homines vt eorum non diligantur errores, quia aliud eſt amare, quod facti ſunt, aliud odiſſe quod faciunt, Te ergo, quem in chriſto vt filium cariſſimum conſueui diligere* &c. Ex his et aliis videtur Superior quidam religioſus ad Subditum ſcribere, de quo tamen poſt paullo: *Sed quia ab eccleſia propter inobedientiam gladio excommunicationis maiorum* (majoris?) *cum tuis complicibus abſciſſus es* &c. Maxime urget, audiendam eſſe Eccleſiam, quam circa Fidei decreta infallibilem eſſe oporteat. Concluſio Epiſtolae deeſſe videtur.

X. *fol.* 341. p. 2. Reſponſum violentum ad praecedentem Epiſtolam, quod incipit: *Salus excellencior, quam meruiſti Amice, quamuis prima fronte tuo ſcripto mihi oblato manifeſte nec non abſque omni rubore erroneum aſſeras* &c. Multa dein cavillatus de dilectione *in Chriſto* et *propter Chriſtum* ſingula alterius dicta refellere conatur Anonymus, Eccleſiam non eſſe niſi Univerſitatem Praedeſtinatorum e mente *Wicleſi* inculcans. Tempus ſcriptionis e ſequentibus liquet: *Si per partem ueſtram probantem Magiſtrum Johannem Przybram cum ſuis intelligas conſocijs, et per aliam partem noſtram M. petrum Anglicum cum ſibi adherentibus, tunc abſque fallo uel deceptus es, uel peccato tuo exigente vis falſo credere, et diſcedere veritati. Quia ſcias quod diligenter ſcrutando*

edoctus